

levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25 Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26 Si quis, vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine jure, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, se vera non mentitur, nec est perjurus.

27 Causa justa utendi his amphibologis est quia id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censatur tunc expediens, & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30 Fas est viro honorato occidere inviolabilem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuisse percussus, & post impactam alapam, vel ictum fultis fugiat.

31 Regulariter occidere possum fitem pro conservatione unius auri.

32 Non solum licitum est defendere detentione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impediendam, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedrali, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impediendam.

34 Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravis occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere ani-

ma rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum patitur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad componendam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per paucam furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

40 Contractus *Mobatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævisio initio cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam presentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solum si exigitur tanquam ex justitia debitum.

43 Quidam non nisi veniale sit detraheus auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44 Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: Et si hoc non est probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46 Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale: imò etiam si finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc

dig-

digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo positivo: vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities Jure Naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti: puta, ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisficit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58 Non tenemur confessario, interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60 Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ,

Tom II.

aut Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugienda occurrit.

63 Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spiritali, vel temporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo, quantumvis labore ignorantia mysteriorum fidei, & etiam per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi.

65 Sufficit, illa mysteria semel credidisse.

127. Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. damnavit sequentes propositiones.

1 In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntati Adami peccantis.

2 Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3 Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.

4 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5 Pagani, Judæi, Hæretici, alijque hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu-Christo influxum: adeoque hinc rectè inferes, illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6 Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciofa est, sic ut: proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

7 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitatis Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

Bb 2

Nc-

8 Necessè est, infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & inconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu.

10 Intentio, qua quis detestatur malum, & profectur bonum, merè, ut ecclestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11 Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed Humana.

13 Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate, si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non est supernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & peccatorum metu concipitur sine dilectione benevolentia Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16 Ordinem præmittendi satisfactorum absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dicente.

17 Per illam proximè mox absolvendi, ordo poenitentia est inversus.

18 Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Poenitentia, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed abusu.

19 Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20 Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21 Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione ob questum, seu lucrum subsidij temporalis.

22 Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam præterdunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23 Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expertus.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter tellantur, quod indigerit purificatione: & quod filius, qui offerrebat, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba Legis.

25 Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ deservit Mariæ, ut Mariæ vana est.

27 Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, &c. prætermisiss illis: Ego te baptizo.*

28 Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non iniendo, quod facit Ecclesiâ.*

29 Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Æcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30 Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bulla Urbani VIII. in *Eminentissimi* est subreptitia.

128. *Propositiones Michaelis Molinos damnata ab Innocent. XI. 28. August. & 19. Novemb. 1687.*

1 Necessarium est annihilari potentias, & hæc est via interna.

2 Velle operari activè est offendere Deum, qui vult solus agens esse, & ideo necesse est derelinquere se in illo, & deinde se habere corporis mortui instar.

3 Vota faciendi aliquam rem sunt impeditiva perfectionis.

4 Activitas naturalis est inimica gratia, & impedit operationem Dei, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.

5 Anima nihil operando annihilat se, & redit ad suum principium, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata, & divinizzata: & tunc Deus manet in se ipso, quia tunc non sunt

sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, & sic vivit, & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativo.

6 Interna via est illa, in qua non cognoscitur aut lumen, aut amor, aut religio: neque necessarium est cognoscere Deum, & sic bene proceditur.

7 Non debet anima cogitare aut præmium, aut poenam, aut Paradisum, aut infernum, aut mortem, aut æternitatem.

8 Non debet velle scire, an ambulet cum voluntate Dei, an sit resignata illi, vel non: nec est necesse, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum: sed sese habeat quali corpus mortuum.

9 Non debet anima memor esse, vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ad proprios defectus.

10 Si proprijs defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi, & non posse reflectere ad proprios defectus, est donum Dei.

11 Ad dubia, quæ accidunt, rectè ne procedamus, an non, non est necessarium reflectere.

12 Qui dedit liberum arbitrium Deo non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de Paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, à cuius etiam spe se purgare debet.

13 Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura, cogitatio omnium rerum nostrarum, & permitti, ut in nobis sine nobis suum Divinum faciat velle.

14 Qui resignatus est Divinae voluntati, non debet à Deo quidquam petere: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est quodammodo velle, ut Divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra voluntati Divina. Et illud, *petite, & accipietis* ex Evangelio non fuit dictum à Christo pro animabus internis, quæ volunt habere voluntatem: quin & istæ eo deveniunt, ut non possint à Deo quidquam petere.

15 Unde securi nihil debent à Deo rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re: quia utrumque est aequaliter actus propriæ voluntatis,

16 Non oportet querere Indulgentias pro poena debita peccatis proprijs: quia melius est satisfacere Divinae justitiæ, quam querere misericordiam: nam illud procedit ex puro Dei amore, & hoc ex amore intercessato, id est, personalis commodi nostri, & non est res grata Deo, nec meritoria, quia est velle subter fugere Crucem.

17 Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium, cura etiam, ac cognitio animæ nostræ, non debent ulterius assilari tentationes, nec alia fieri illis resistentia, nisi negativa, non utendo industria: Et si natura inde patitur, necesse est, illam finire pati, quia natura est.

18 Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & proprijs conceptibus, non adorat Deum in Spiritu, & veritate.

19 Qui amat Deum, prout illum ratio argumentando repræsentat, aut intellectus defectu reprehendit, non amat Deum verum.

20 Dicere in oratione utendum discursu, & cogitibus tunc, cum Deus non loquitur animæ, est ignorantia: Deus non loquitur unquam, illius loqui est operari: semperque in anima operatur, dum illa suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21 In oratione manendum est in fide obicura, & universalium cum quiere, & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & distinctæ attributorum Dei, & Trinitatis: atque standum in præsentia Dei ad eum adorandum, amandum, etque serviendum, verum sine productione ullorum actuum: Deus namque id genus rebus non delectatur.

22 Non est hæc cognitio fidei actus quispian productus à creatura, sed cognitio quædam illi à Deo data, quam creatura non novit, se habere, neque adeo postea scit, se habuisse. Idemque dicendum de amore.

23 Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem insulam. Qui semper est in primo, nunquam transit ad secundum. Qui semper est in secundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat anima nihil tale expectantem, ad contemplationem insulam. Et hæc cessante recedendum est animæ ad gradum tertium, & in eo consistendum, non amplius

plius revertendo ad secundum, aut primum.

24. Quaecumque cogitationes inter orandum accidunt, etiam impurae, quin & contra Deum, & Sanctos, contra fidem, & Sacramenta, si non voluntarie foveantur, neque actu aliquo voluntarie rejiciantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imò illam reddunt perfectiorem, quia anima magis est resignata voluntati Divinae.

25. Tamen si superveniat somnus, & dormiatur, omnino tamen oratur, & contemplatio fit actualiter: quia oratio, & resignatio, resignatio, & oratio totum est idem, & quandiu continuatur resignatio, utique etiam oratio continuatur.

26. Tres haec viae, purgativa, illuminativa, & unitive, ineptia est maxima, quae unquam praelata sit in ipsa Mystica, cum non sit nisi via unica, id est, via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat, nec quaerit Deum, sed se ipsum: qui que per viam internam incedit, male facit eam desiderando, ac habere conando, sive in locis sacris, sive diebus solemnibus.

28. Bonum est tedium rerum spiritualium, quia sic ab omni proprio expurgamur.

29. Cum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutibus, manetque frigida, non sentiendo, se ad fervorem accendi, bonum signum est.

30. Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, fordidum, & immundum.

31. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci à sensibus, perdere oportet virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia opus est preparatione, aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis) quam ut se teneant in solita resignatione passiva: quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori, quam omnes alij virtutum actus, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communis accidunt motus humilioris, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus: aliter enim sunt impulsus naturae nondum mortuae.

33. Malefacit anima, quae via ista in-

terna graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem devotivum: quia animabus internis omnes dies sunt pares, omnes festi. Idemque est de locis sacris, quia omnia loca his animabus sunt paria.

34. Deo gratias agere lingua, & verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non praebentes Deo impedimentum, quominus in ijs operetur: & quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experientur impotentiam dicendi: *Pater noster*.

35. Animabus hujus viae internae non convenit, ut faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione, & activitate: alioquin mortuae non forent. Nec debent facere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi: quia cum haec sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedem habere debent in corde nostro, quia Deus solus vult occupare illud, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam vehementium non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in supradicto amore, & resignatione.

38. Crux voluntaria mortificationum gravis est, & sine fructu, ideoque omittenda.

39. Opera Sanctissima, & austeritates, quas Sancti subierunt, non sufficiunt ad animam, vel uno assatu liberandam.

40. B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit Sanctissima: igitur perveniri potest ad sanctitatem sine opere exteriori.

41. Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertinere faciat, permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptiis, ut daemon operetur violentiam in earum corporibus, illaque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo illis physice manus, aliaque membra contra eorum voluntatem. Et idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos: quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus.

42. Potest dari casus, quo haec violentia ad actus carnales existant in eodem tempore, ex parte duarum personarum, id est, viri, & foeminae, & consequatur actus ex parte amborum.

Deus

43. Deus temporibus praeteritis faciebat Sanctos per medium Tyrannorum, hodie eos facit per medium daemonum, qui dum illis causant dicatas violentias, facit, ut ij magis se vilificent, & annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen in eo non peccavit labijs suis, quia id fuit per violentiam daemonis.

45. Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias daemonis: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*.

46. Haec violentiae sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem, & unionem; neque alia est via: estque via facillior, & securior.

47. Cum haec violentiae accidunt, oportet, sinamus Satanam agere, non utendo propria industria, aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro: ac tamen accidant pollutiones, actusque obsceni manibus procurati, atque etiam his magis insolita, & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt serapuli, dubia, timores, quia anima magis illuminata, robustiorque, & candidior efficitur, & acquiritur sancta illa libertas. At in primis non oportet, ea confiteri sitque sanctissime illa non confitendo, quia sic vincitur daemon, & thelaurus quidam pacis obtinetur.

48. Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde, esse graves defectus ad inquietandam animam, ut non progrediatur in via interna. Unde ad tollendas illi vires, praestat ea non confiteri: quia nequidem sunt peccata venialia.

49. Job per violentiam daemonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum precēs*, ita interpretando in tali sensu Textum quemdam, Cap. 16. Job.

50. David, Jeremias, & multi è Prophetis Sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum.

51. In Scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Sampsonis, qui per violentiam occidit se ipsum cum Philistaeis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice: quae alias erant res prohibita, & fuissent peccata. Item Judith, quae mentita est Holoferni: Elitae, qui pueris maledixit: Eliae, qui igne contempsit duos Duces cum cohortibus

Regis Acab. An autem fuerit violentia facta immediate à Deo, vel daemonis ministerio, ut in alijs accidit animabus in dubio relinquatur.

52. Quando haec violentiae, etiam impurae, veniunt sine mentis offuscatione, tunc anima potest se unire Deo, & re ipsa semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in alijs personis fuerit violenta, regula, quam de ea re habeo, non solum est, quod protestentur haec animae, se non consentisse, vel quod non possint jurare, se consentisse, ac quod videamus, esse animas, quae profectum faciunt in via interna; sed praeterim me dirigo lumine quodam actuali, & quod superius est cognitione humana, ac Theologica, quo cognosco certò cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentam. Et hoc lumen certus sum venire à Deo: quia mihi venit conjunctum cum securitate, quod veniat à Deo, neque mihi, vel umbram dubij in contrarium relinquit, eum in modum, quo interdum accidit, ut Deus revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse, qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare.

54. Spirituales illi viae ordinatae in hora mortis se delusos, & confusos invenient cum omnibus passionibus in altero Mundo expurgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etiam cum multa tolerantia, ad expurgationem, & mortificationem omnium passionum, ita ut nihil amplius sentiat, nihil, nihil planè, neque percipiat quis inquietudinem ullam perinde, ut corpus quoddam mortuum, neque anima se amplius in diversa transferri sinat.

56. Duae leges, & duae voluntates, altera animae, altera amoris proprii, durant, quandiu amor proprius durat. Unde ubi hic expurgatus, & mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non amplius ibi sunt illae duae leges, neque duae voluntates, nec ultra fit ulla subreptio, aut motus improvisus, neque aliquid poterit sentiri, ne ullum quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem adquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius, seu mortaliter, seu venialiter.

58. Ad ejusmodi statum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione.

Via

59 Via interna separata est à confessione, à confessarijs, & à casibus confessionis: à Theologia, & à Philosophia.

60 Animabus proventis, quæ reflectionibus mori incipiunt: quin & eo, ut mortuæ sint, jam pertingunt, Deus nunquam impossibilem reddit confessionem, ipseque supplet tantumdem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantum recipere ex Sacramento: ideoque his animabus non expedit eo casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt.

61 Anima, cum ad mortem mysticam pertingit, non potest ultra velle aliud, quam vult Deus: quia non habet amplius voluntatem, & Deus illam ipsi ademit.

62 Per viam internam pervenitur ad continuè consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.

63 Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem sensuum: imò signum, quod quis in nihilo illo consistat, id est, mortuus sit morte mystica est, si sensus externi non magis jam representent res sensibiles, quam si non existerent, quando quidem non efficiant, ut intellectus se ipsis applicet.

64 Theologus minus est dispositus, quam simplex, & idiota ad hoc ut sit contemplativus: primò quia non habet fidem tam puram: secundo quia non est tam humilis: tertio, quia non curat perinde de sua salvatione: quarto, quia habet caput plenum phantasmatis, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & in eum nequit verum lumen intrare.

65 Superioribus obediri debet in exteriori, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exteriori: aliud est in interiori, quo solus Deus, & director intrant.

66 Ritu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei: animam ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum, etsi is idoneus non fuerit, eundem animæ ab illo ad suum directorem. Dico, novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores unquam id dixerunt, nec dicere possunt: quia *Ecclesia non judicat de occultis*, habetque jus anima, ut eligat quem maluerit.

67 Dicere, opus esse, ut internum manifestetur Tribunali externo Superiorum, & esse peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta, quia *Ecclesia non judicat de occultis*, atque animabus suis

damnum adferunt fraudibus hisce, & fictionibus.

68 In Mundo non est facultas, nec jurisdictione ad mandandum, ut manifestentur litteræ directoris circa internum animæ: & ideo monitos esse oportet, esse hunc assultum quemdam Satanæ.

129. Propositiones damnata à Clemente XI. die 8. Septemb.

1713. in percelebri Bulla Unigenitus Dei filius, contra Kessel.

1 QUID aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amittit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia: hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

2 Jesu-Christi gratia principium efficacis boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

3 In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4 Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5 Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt nisi ad illud magis aburdandum.

6 Discrimen inter foedus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum Legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero, Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7 Quæ utilitas pro homine in veteri foedere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati imponendo ipsi suam Legem? Quæ verò felicitas non est admittit ad foedus, in quo nobis Deus donat quod petit à nobis.

8 Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9 Gratia Christi est gratia suprema, sine qua consistere Christum nusquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Gra-

10 Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11 Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.

12 Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13 Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interioris gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14 Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ oportet, ut se dedat, accurat, seise humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15 Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comittatur unctioni sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16 Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ: quia nihil resistit omnipotenti.

17 Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum-Christum: quicumque ad eum non venit postquam audivit vocem exterioris filij, nullatenus est doctus à Patre.

18 Semen Verbi, quod manus Dei igitur, semper affert fructum suum.

19 Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20 Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obediri: imperat, & omnia sunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi summissa sunt.

21 Gratia Jesu-Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium suum.

22 Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratiæ sunt, sicut ipsa originalis operatio.

Tom. II.

23 Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24 Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu-Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25 Deus illuminat animam, & eam sanat aequè ac corpus: sola sua voluntate jubet, & ipsi obtemperatur.

26 Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.

27 Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28 Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio.

29 Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30 Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.

31 Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32 Jesus-Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angelum exterminatoris.

33 Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibi ipsis renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam appropriandi Christum Jesum ejus amorem, mortem, & mysteria, ut faciat Sanctus Paulus dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34 Gratia Adami non producebat nisi merita humana. Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integra.

35 Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentie, ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepit: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu-Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37 Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia christiana nos sanctificando in Jesu-Christo est omnipotens, & digna filio Dei.

38 Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

39 Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberandum: ardoris, nisi ad se præcipitan-

Cc

dum:

dum: virium; nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40 Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

41 Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42 Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei: sine hoc nihil nisi impunitas, nihil nisi indignitas.

43 Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato: adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44 Non sunt nisi duo amores, unde voluntiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum: quemque Deus remuneratur, & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendam est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

45 Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necessè est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnique actiones ejus corrumpat.

46 Cupiditas, aut charitas usum sensum bonum, vel malum faciunt.

47 Obedientia Legis profluere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

48 Quid aliud esse possumus nisi tenebra, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?

49 Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum, si sine amore Dei.

50 Frustra clamamus ad Deum; Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51 Fides justificat, quando operatur: sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.

52 Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine: sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.

53 Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum, & Jesum-Christum.

54 Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solum Deum audit.

55 Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56 Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat.

57 Totum deest peccatori, quando ei deest spes: Et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

58 Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas.

59 Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60 Si solus supplicij timor animat poenitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61 Timor non nisi manum cohibet, cor autem tandem peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62 Qui à malo non abstinere nisi timore poenæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.

63 Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64 Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, si ve faciendum malum, si ve illud non nisi ob timorem, evitando.

65 Moyses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi principia per timorem.

66 Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestia, sed per fidem, & per amorem sicuti filij.

67 Timor servilis non sibi representat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68 Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus.

69 Fides, usus, augmentum, & præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70 Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel

ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71 Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72 Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.

73 Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi?

74 Ecclesia, si ve integer Christus incarnatum Verbum habet, ut caput, omnes verò sanctos, ut membra.

75 Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona: unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

76 Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justii omnium sæculorum illam componunt.

77 Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.

78 Separatur quis à Populo electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & caput est Jesus-Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

79 Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80 Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81 Obscuritas Sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82 Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83 Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari foeminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex foeminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natae sunt hæreses.

84 Abripere è christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, aufere eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85 Interdicere christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelij est interdicare usum luminis filij lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86 Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ est usus contrarius praxi Apostolica, & intentioni Dei.

87 Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentia, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88 Ignoramus, quod sit peccatum, & vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoljavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89 Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

90 Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto totius corporis.

91 Excommunicationis injuste metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequiritia videtur ab ea expulsi, quando Deo Jesu-Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92 Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem.

93 Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceptis primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi in considerato zelo rescindunt.

94 Nihil pejus de Ecclesia opinione ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & fieri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95 Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium. Neque factis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesie, & iræ Dei in filios suos.

96 Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatibus, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divina gratia.

97 Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesie sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 Status persecutionis, & poenarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, ut pote quæ facit hominem magis conformem Jesu-Christo.

99 Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie, quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia possuit, ut in ea esset odor vitæ; v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

100 Tempus deplorabile, quo creditur, honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit: Haberi, & tractari à Religiosis Ministris, tanquam impiis, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corumpendi omnia in Societatem Sanctorum, est hominibus pijs morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammam, ferroque viros probos, si propria passione est excecatus, aut abreptus aliena, propterea, quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impiis, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101 Nihil spiritui, & doctrinæ Jesu-Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant Consilio impiorum,

130 Vix quidem ab ingratitude, vel saltem stupiditatis nota excusari possem, si hic referre omitterem honorificentissimum Breve, quo hujus Bullæ occasione Supremus Ecclesie, Princeps Universitatis Salmantinæ à calumnia sibi immerito in illa merito vindicavit.

DILECTIS FILIIS Rectori, Professoribus, ac Moderatoribus Universitatis Salmanticensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti filij, salutem, & Apostolicam benedictionem. Esti præclara, & sanè vetus animoque nostro altius infixæ opinio, quam gerimus de sincera, incorruptaque celebri Universitatis Salmanticensis Religione, facile Nobis persuaserit, rumorem adversus illam à Novatoribus, quorum os felle, & amaritudine plenum est, impudenter disseminatum, quoad Apostolicam nostram Constitutionem, cujus initium est, Unigenitus Dei Filius, omnino à veritate alienum esse: nihilominus perlibenter accepimus, ac legimus Epistolam vestram die 19. præteriti mensis Augusti ad Nos datam una cum illi adjectis documentis, quibus non modo calumniam vobis iniustam perspicue diluistis, verum etiam universo Catholico Orbi luculenter testatam factis egregiam vestram in sana doctrina tuenda constantiam, inconcussamque obedientiam definitionibus Supremæ Cathedræ Beati Petri, in qua idem gloriosus Apostolorum Princeps vivit adhuc, & præsidet, præstatque quærentibus fidei veritatem. Repleti itaque sumus consolatione, & super abundavimus gaudio, cernentes vos firmiter adeo illustribus majorum vestrorum vestigijs, ac exemplis insisteret, quorum præstanti virtuti, perpetuoque in hanc Sanctam Sedem studio, satis constat, magna ex parte deberi singularem illam, & planè insignem prerogativam inelytæ Hispanicæ Nationi concessam: quod scilicet ipsa tot sæculorum decursu ab omni hæretici labe se immunem, in violatamque servaverit: adeoque splendidum, & gloriosum Catholicæ titulum merito adeptæ fuerit. Debitis propterea

lau-

laudibus vos, dilecti filij, in Domino prosequentes, paternè vos adhortamur, ut avira decora, nominisque vestri dignitatem constantè tueri pergatis, ac ad Academiam vestra, quam diuigentissime arcere curetis profanas vocum novitates, quibus iniquitatis filij mileris hinc temporibus vetustatem incellere omni opemittuntur, quasi Evangelium Christi, ut inquit Apostolus convertere paulatim velent. Id porro de perfecta pietate, eximiamque Sapientia vestra nobis abundè polliciti planè confidimus, fore, ut exempli vestri autoritate in dies magis confundantur, ac erubescant, qui supra ipsam Supremam Cathedram caput attollere procaciter audent, nec intelligunt, se Magistros effici erroris, dum Christiana humilitate fieri indignantur discipuli veritatis. Omnipotens Deus dirigat vias vestras in beneplacito suo, ac omnia vobis lata, atque secunda largiatur, quibus Nos paternæ nostræ charitatis testem Apostolicam benedictionem permanentè impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 12. Octobris 1716. Pontificatus nostri anno XVI.

Post sigillum.

Joannes Christophorus Archiepiscopus
Amasis.

131 Demum quamvis propositiones à Summis Pontificibus damnatas nec docere, nec prædicare possimus, eas tamen ad impugnandum adducere, vel ob oculos apponere, ut tanquam cibus prohibitus, & infectus vitentur, licitum, & laudabile est: quin & omnino licet eas in bono sensu, & juxta Doctorem sententias interpretari, ut aurum ab scoria separaretur: ita tamen ut potius de mente Legislatoris, quam de verborum cortice curetur. Ipsa namque tantum prout jacent, sunt damnata: unde si aliquid addatur, vel detrahatur, adeo, ut sanus, verus, & Catholicus sensus maneat, sustineri utique debent. Et licet solum damnata sint propositiones prout jacent, ita ut earum sensus accipiatur cum proprietate Theologica, & ut sonant in communi vocum explicatione: tamen si fortiori ratione aliæ improbandæ veniant, impracticabiles profecto sunt: nam si marito uxorem in adulterio deprehensam occidere illicitum est: nonnè licitum erit sponto occidere sponsam sic deprehen-

sam? Propositio, ex qua legitime inferatur damnata, manet antiquata: secus est si per varias tricas inferri videatur. Ad salvandam propositionis damnationem, sufficit, quod contradictoria ejus verificetur. Quando propositio est copulativa regulariter singula membra reprobantur, nisi alia sit Pontificis mens, & constet, quod potius copulatio, quam quolibet membrum sigillatim, damnetur. Quando aliquid illicitum à Pontifice declaratur, debet attendi gravitas, vel levitas materiæ, ut secundum eam peccatum mortale, vel veniale adstruatur: nam aliquando veniale non excedit, si aliqua propositio in praxim deducatur: ut facile ex Propos. 9. damnata ab Innoc. XI. liquet: quamquam semper grave sit auctoritatem alicujus Pontificis Decreti contemnere. Et sic intelligitur, quod in ipsis habetur, quando prohibetur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii, ne quis prædicatum opinionum aliquam in praxim deducat. De justitia damnationis dubitare insinuat profecto esset: nobis enim fat erit respondere: ille dixit, qui stateram veritatis in manu portat. Si de propositionis sensu dubites, consule Interpretes, qui de eis abundè scriperunt, scilicet, Castro, Cardenas, Gutierrez Hurtado, Viva, Fontayne, &c.

TIT. VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

132 **S**chisma, ait Text. in c. 34. 24. q. 1. quod Græcum nomen est, scissuram sonat. Idem est juxta Nebrissensem, qui dicit schisma interpretatur scissura. Hispanè: Cisma, divisio, seu discordia. Sicque communiter definitur: Est divisio, seu dissensio ab unitate Ecclesie, quatenus hæc est Corpus mysticum constans ex Romano Pontifice, tanquam ex Capite, & universi fidelibus tanquam membris. D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. Gonzalez in c. 2. h. t. n. 4. & alij. Et sanè schisma gravissimum peccatum est, quia quantum est ex se unitatem Ecclesie scindit: quæ malitia tota reperitur in quacumque re fiat recessus ab Ecclesie unitate, ac proinde materiæ parvitate non admittit. Et quam detestabile sit hoc crimen satis colligitur ex pœnis, quas